Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2189

Quelle:
Copyright:

dem Jar als man zalt von der geburt christi XV^c Jar post dominicam Oculi.

III. *fol.* 28. alia manu: Expositio VII. Petitionum Orationis Dominicae, adjectis aliquot Precationibus, et D. *Annae* Prosapia. Initium: *Die sieben stucklin* (Particulae) *das erst. Gehailiget werd din nam Das ist das erst des du dem almechtigen barmhertzigen got solt bitten. Nun möchtestu sprechen* &c. In fine post recensitam D. *Annae* Prosapiam subditur ab amante fortassis Patre: *Endlin* (Annula) *min liebs Kind merck hie wie haustu* (hast du) *so ain sülige muotter. sant anna. das kind sol siner mutter nauch volgen In guotem &c.* Atque in hujus *Annulae* gratiam praecedens etiam Orationis Dom. Expositio suscepta fuisse videtur.

Praetextae sunt Codici *Chartae* II. quarum priore *Ludovicus ab Habsperg* anno aetatis suae 87. varia constituit circa lapidem suum sepulchralem et diem anniversarium obitus, eaque committit Abbati et Conventui ad S. *Haimeranum*. In vigilia *Michaelis* Archang. *Anno &c. Im XX Jar*, quem puto annum 1520. Altera ad *Tyrolim* pertinet, qua *Hainricus Payrsperger* Praedium situm in Dominio *Curtatsch* in emphyteusin dat *Johanni Mygler*. Data est: *Ze Tramynn* (Tyroleos?) *des freytags vor mitterfasten Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimoprimo.*

DLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 45 XV. Folior. 234. f. max. per duas columnas minutius exaratus et paene fine ornamentis continet *Libros* VIII. *priores de Vita Christiana Simonis de Cassia* O. Eremit. S. Augustini. Fol. 1. pag. 2. habetur *Prologus* hoc initio: *A bono et superbono Creatore omnium deo sumentes exordium* &c. Opus ipsum sic incipit: *In nomine Christi Amen Incipit liber de uita christiana. Venerabilis ffratris Symonis de Cassia Ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini. Quem librum ipse incepit ad instantiam et petitionem sui Carissimi amici domini Thome de Corsinis de florencia legum doctoris. Anno domini Millesimo Trecentesimo Tricesimooctauo. die sexta mensis Septembris aput vrbem Romanam. Sed ibidem Anno domini* M°. CCC. XLVII°. *In vigilia Ascensionis domini infirmatus et sequenti anno. die secunda ffebruarij defunctus. Nec ipsum librum relegere et ordinare uel corrigenda corrigere si qua essent. Nec in aliquibus tractatibus ipsius libri perficere potuit aut complere.* Ad calcem *Libri* VIII. adjectus est *Index* omnium Capitum, ad quem sequenti praefamine inducimur: *Ad honorem laudem et gloriam omnipotentis dei. Glorioseque genitricis sue virginis Marie. Beatissimi Confessoris et almi presulis doctorisque egregij Sancti patris nostri Beati Augustini et omnium sanctorum Incipit Registrum siue ordo librorum.*